



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Manuale Exercitiorvm Spiritvalivm

Capilla, Andrés de

Coloniae, 1607

Quando imaginem aliquam piam transimus. Exercit. 42

[urn:nbn:de:hbz:466:1-53232](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-53232)

*Quando imaginem aliquam piam
transimus.*

Exercit. 42.

Gen. 11. Creavit Deus hominem ad imagi-
nem & similitudinem suam.

Sap. 8. Candor est lucis aeternae: & specu-
lum sine macula Dei maiestatis & imago
bonitatis illius.

ech. 25. Duos quoque Cherubim aureos,
& productiles facies ex utraque parte o-
raculi.

Num. 21. Fac serpentem aereum, & pone eum
pro signo qui percussus aspexerit eum, vivet.

3. Reg. 6. Fecit Salomon in oraculo, duo Che-
rubim de ligno oliuarum, & posuit in me-
dio templi interioris.

1. Cor. 15. Sicut portamus imaginem terre-
ni, portemus & imaginem caelestis.

Consideratio.

Imagini debitam venerationem ex-
hibebimus: adorabimusque in ea,
illum quem repræsentat: siue SS. Tri-
nitatem: siue Deum Patrem: Siue Je-
sum Christum verum Deum & hominem:
agnoscemusque illum esse Regem, Domi-
num & Creatorem nostrum, qui nos suscitavit
& mo-

& moderatur. Si B. Virginis Mariæ imago fuerit, agnoscemus illam esse creaturis omnibus sanctiorem, Deoque acceptiorem. Si alterius sancti: agnoscemus illum esse Dei amicum & cœlestis patriæ ciuem; quem Deus ad magnos honores in cœlis exaltauerit atque in terris coli atque obseruari voluerit.

Gratiarum actio.

GRatias agemus Deo, quod imagines in Ecclesia esse voluerit, partim ad nostræ obliuionis remedium: partim ad eruditionem atque solatium nostrum: partim vt essent veluti liber apertus, in quo illi etiam qui literas ignorant, legere possint. Gratiâs præterea referemus ei quod in animabus nostris suæ maiestatis imaginem impresserit.

Confusio.

PVdore suffundemur: considerantes, quod diuinam imaginem animabus nostris impressam, sceleribus & peccatis contaminauerimus.

Peti-

Petitio.

PRecabimur Deum, vt imaginem suam in nobis restauret & expoliat: vt imagine ipsius in nobis venusta & pura existente illi soli placeamus. Postulabimus etiam à Deo per merita & intercessionem illius Sancti, cuius est imago, aliquam specialem gratiam.

Oblatio.

Offeremus Deo, adorationem & reuerentiam, quam omnes Angeli & electi in cœlis Deo exhibent: Deumque simul cum illis laudabimus & glorificabimus.

Quando nobis omnia contra voluntatem eueniunt.

Exercit. 43.

Luc. 22. *Non mea voluntas, sed tua fiat.*

Hesth. 13. *Domine Domine Rex omnipotens in ditione tua cuncta sunt posita, & non est qui possit voluntati tuæ resistere.*

Gen. 50. *Num Dei possumus resistere voluntati?*

Consideratio.

ec

C n-